



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-116504-p0001-2

DFG

*Ecc. 13. 4to*

7

EPITHALAMIA

HONORIS CAUSA  
OPTIMO ET DOCTISSIMO

VIRO D. M. PAVLO EBERO, CLA-  
rissimi & Reuerendi Domini D. PAULI Filio,  
iterum Sponso : Et honestæ ac pudicæ Vir-  
gini MARGARITÆ, Burcardi Mat-  
thæi ciuis Vuitebergensis  
Filiæ

Scripta

à

IOHANNE CLAIO HERTZ-  
BERGENSI ET ALIIS  
amicis.

WITEBERGÆ  
EXCVDEBAT LAUREN-  
tius Schwenck.  
M. D. LXX.

JOHANNES CLAVIC HERES

REGIMENTA MUSICALIA

1594



EPITHALAMIVM  
NUPTIIS OPTIMI AT  
QUE DOCTISSIMI VIRI DN. M. PAVLI  
EBERI, iterum sponsi: Et pudicissimæ Virgi-  
nis MARGARITÆ MATTHÆÆ  
Scriptum

A IOHANN E CLAUDIO  
HERTZBERGENSE.

Te procul curæ, tristes proculite dolores,  
Et procul hinc omnes ite melancholici.  
Huc veniant Charites cum Musis, gaudia, risus,  
Ingenuiæ sales, & sine felle ioci.  
Festa dies agitur Pauli, non illius autem,  
Cui caput innocuum sustulit ense Nero:  
Sed cuius pater est super æthera notus Eberus,  
Quem fera mors nobis abstulit ante diem.  
Cuius ego laudes versu si dicere vellem,  
Conarer fluctus dinumerare maris:  
Illi ergo viri, dictus de nomine patris,  
Filius hac celebrat gaudia læta die.  
Cui nuper varijs presso fortuna procellis  
Mærendi causam tristiciæ dedit.  
Cum priuauit eum mors crudelissima caris  
Omnibus, in terris quæ quis habere potest.  
Nam natam matremq; suam nuptamq; patremq;  
Amisit, nec adhuc integer annus erat.

A 3

Quod

*Quod potuisset ei maius contingere damnum?*

*Aut quas præterea perdere posset opes?*

*Hi quamuis fuerint omnes in pectore cari,*

*Mors tamen uxoris plus miseranda fuit.*

*Nam pietatis amans, & honesti filia patris,*

*Quo non hac senior Doctor in urbe, fuit.*

*Quem licet infandis pars aduersaria scriptis*

*Proscindat, tamen est carus ubiq; pijs.*

*Atq; omnes superat, tam re quam nomine Maior,*

*Quos clamatorum tollit ad astra cohors.*

*Nec modò patris erat laudati filia, verum.*

*Et candoris amans, & speciosa fuit. (tam,*

*Hanc igitur talem sibi luxit EBERVS adem-*

*Quares nulla viro carior esse potest.*

*Dulce bonum pater est, dulcis possessio mater,*

*Carior utroq; est coniugis vxor amans.*

*Sunt quoq; filioli spes deliciumq; parentis,*

*Carior his autem coniugis vxor amans.*

*Vxor honesta viro pater est, & mater, & haeres,*

*Hæc spes, hæc gaza est, deliciumq; viri.*

*Propter eam coniunx patrem matremq; relinquit,*

*Has illi flamas indidit ipse DEVS.*

*Illiis in gremio tristes deponere curas,*

*Illiis alloquio cor recreare potest.*

*Deniq; sunt vnum corpus vir & vxor, vt aiunt,*

*Sunt duo carne licet, mens tamen una manet.*

*Vxor is coniunx anima est, & coniugis vxor,*

*Sic minimo vitæ tempore totus homo est.*

*Dum*

*Dum*

Dum tenera est ætas leæto non apta iugali,  
Dimidio tantum corpore viuit homo.  
Nam peragit cœlebs dulci sine compare vitam,  
Parteq; dimidia corporis orbus erit.  
At cum legitimo iunxit sibi fædere sponsam,  
Vtraj; tunc pars est, ac homo totus erit.  
Mox geminos fato cum mors diuellit amantes,  
Dimidia rursus parte fit orbus homo.  
Dum vidua aut viduus dulci sine coniuge viuit,  
Fit q; nouus maior, quam fuit antè, dolor.  
Degustauit enim socialis commoda vitæ,  
Quæsi quem fugiunt, expedit ille minus.  
Vxor isq; viro sæpè obuersatur imago,  
Sic os, sic oculos, sic tulit illa manus.  
Hic stetit, hic sedit, mensa cœnauit in illa,  
Ipsius hæ vestes, hic thorax eius erat.  
Nouit id expertus sublata coniuge sponsus,  
Ac grauius, quam quis dicere forte potest.  
Istaq; coniugij fuit illi causa secundi,  
Sentit enim, viduum quid sit habere thorax.  
Nam licet in cœtu cum caris viuat amicis,  
Attamen inde domum cum redit, vxor abest.  
Vxor abest blando quæ suauiter ore loquatur,  
Quæ propter sedeat, propter eumq; cubet.  
Cuius in amplexu nullo prohibente quiescat  
Oblitus curæ, qua modò pressus erat.  
Cum qua priuata de re deliberet vna,  
Quo benè sit soboles instituenda modo.

Non tulit hanc speciem, sponsam sed querit honestam,  
Dicere cui posset, tu mibi sola places.  
Quæsitamq; diu reperit, dicitq; repertam,  
Margarin inuenit, Margaris ista placet.  
Vnio apud Græcos signatur nomine sponsæ,  
Crede mibi, sponso hæc vnio magnus erit.  
Illiis hic ingens circumdabit vnio collum,  
Ex hoc contextum dulce monile feret.  
Ardescetq; videns pendentem in pectore gemmam,  
Ad pectusq; suum sæpè monile premet.  
Margaris in Pauli complexus ibit Eberi,  
Connubio dicta est hui c hodierna dies.  
Idq; vt sit felix omnes uno ore precemur,  
Optantes tædis omina fausta nouis.  
Sponsus vt vñanimi iungatur pectore sponsæ,  
Perpetuoq; recens tempore duret amor.  
Sponsa diu viuat felix, fæcundaq; sponsum  
Efficiat multa deniq; prole patrem.  
Viuite felices, thalamo quos iungit eodem  
Non Venus, aut veterum Iuno, sed ipse Deus.  
Ethnica non colimus sine numine nomina Diuum,  
Angelus hic adsit pronubus ipse Dei.  
Quo duce Tobiae Raguelis Sara iungatur,  
Quem Deus ad castos miserat ipse thoros.  
Christus Hymen adsit, qui tædis adfuit olim,  
In quibus & liquidas in mera vertit aquas.  
Hoc tibi sponsæ precor, precor hoc tibi sponsa, secundet  
Hæc mea vota Deus, quo sine nulla salus.

At

At vos conuiuæ lætos iam sumite vultus,  
Et sponsos lepidis exhilarate iocis.  
Cum letis læti, tristes cum tristibus este,  
Inq; alium curas reijcitote diem.  
Este melancholici cum res grauis yrget & angit,  
Viuere nunc hilares hora locusq; iubent.  
Non ideo leuis est, si quis quandoq; iocatur,  
Et spargit lingua liberiore sales.  
Dum modò non dicat quæ sint aliena decoro,  
Aut lædant aures futilitate piæ.  
Nec quoq; conueniunt ad edendum siue bibendum  
Eximia celebres integritate viri:  
Sed magis vt viuant vnâ, curisq; soluti  
Tempora colloquio fallere tarda queant.  
Atq; ita Romano Cicero conuiuia verbo  
A conuiuendo nomen habere docet:  
Non est symposion, neq; concænatio, Græca  
Gens vt ait, bibula cui sumus arte pares.  
Sitamen & vietus quenquam potusq; iuuabit,  
Is, quantum satis est, hic edat atq; bibat.  
Turpe tamen magnis alios vrgere culullis,  
Immodicè quoniam pocula sumta nocent.  
Quisq; bibat quantum satis est, quantumq; placebit,  
Et, quantum libuit, sumere quemq; finat.  
Si quis abit sitiens (quod non reor esse futurum)  
Non sponsi aut sponsæ culpa, sed eius erit.  
Sed facio finem, neq; fas me scribere leges,  
Ne conuiuarum symposiarcha vocer.

A 4

Cum



Hoc tantum volui, laetos ut sumere vultus  
Dignetur, praesens ad sacra quisquis adest.  
Cum satur est venter, dubia desurgite cœna,  
Virgine cumq; sua ducite quisq; choros.  
Quod vos inuiti iuuenes facietis, ut ardens  
Inuitè placito nubit amica viro.  
Cum nox ingruerit, consueto more puellas  
Cum face, cum fidibus, ducite quisq; domum.  
Nec prius hinc quisquam discedere cogitet, Eos  
Quam terris rutilum nunciet orta diem.  
Sic neq; surgendum, facies neq; fnote lauanda,  
Nec coma pectenda est, fit labor ipse minor.  
Turpe foret, si quis coram Rectore (quod absit)  
Accusaretur virginis ore reus:  
Quòd festinanter cubitum discesserit illinc,  
Virgineos ausus deseruisse choros.  
Hoc ne contingat, pro se se quisq; cauebit,  
Et discat famulus virginis esse suæ.  
Tu quoq; sponsæ vide ne de te sponsa queratur,  
Quodq; facis, Claij consule scripta boni.  
Temporis id breuitas & cura domestica fecit,  
Quòd neq; plura tibi nec meliora damus.



ELE

**ELEGIA GRATULATO-**  
**RIA, OPTIMO ET DOCTISSIMO VI-**  
ro, D. M. Paulo Ebero, sponso, scripta à M. Io-  
hanne Fleischero Vratislauensi.

**M**aximus hæc Salomon, quo non sapientior alter,  
    Qui data Iudææ sceptra tenebat, ait:  
**O**mnia, quæ superum cœlestis contegit aula,  
    Temporibus constant perficienda suis.  
**E**st sua cuig dies, est nasci tempus in auras,  
    Et rursus gelidæ mortis adire viam.  
**E**st tempus tristem lacrimis suffundere vultum,  
    Et contrà risu liberiore frui.  
**E**st tempus luctu placidos abscondere vultus,  
    Rursus & ad gratos membra mouere modos.  
**E**st tempus niueo circundare brachia collo,  
    Et subito flagrans pectus amore rapi.  
**H**æc ait ille, sua mortalia mente reuoluens,  
    Et quam sint homini multa ferenda, docet:  
**Q**uam vicibus varijs hominum fortuna feratur,  
    Vitaq; quam miris cursibus omnis eat.  
**E**t monet hæc solo fieri mandante supremo,  
    In cuius viuunt cuncta creata manu.  
**T**alia scribentis mentem meditata subibant,  
    Ad carmen nobis materiamq; dabant:  
**P**ectore dum reputo mecum, doctissime Paule,  
    Quam tua sit miris res agitata modis.

Nam



Nam tibi præcedens carissima sustulit annus,  
Matrem cum nata, coniuge, cumq; patre.  
Ergo tibi est magni iustissima causa doloris,  
Et meritò luctus publica signa dabas.  
Nosq; tuum pariter patrem mæremus ademtum,  
Et nobis animum publica damna mouent.  
Sed cùm sit fama liquidum super æthera notus  
Elogio Musæ non eget ille meæ.  
Quem si laudarem, lucis plus addere soli,  
Et gelidas vellem fundere in æquor aquas.  
O infausta dies tanto celeberrima casu,  
Quæ tum bis mensis quinta Decembris erat.  
O annum miserum, quo non est tristior ullus,  
A Christo genito quem numerare potes.  
Si iungas annos, terris quos vixit vterq;  
Semus & Henoch de genitore satus.  
Verum, Paule, decet veteres deponere luctus,  
Atq; modum curis addere posse tuis.  
Tempus adest aliud, quo lætos sumere vultus,  
Ac animum debes exhilarare tuum.  
Nam quia mente Deum casta scis esse vocandum,  
Casta paras thalami vincla subire noui.  
Et dum consortem thalami tibi quæris honestam,  
Millibus è multis Margaris vna placet:  
Virgo pudica, pijs ducens genitoribus ortus,  
Numinis & castæ simplicitatis amans.  
Quæ ritu veteri sacram ducetur ad aram,  
Et tibi iungetur fædere coniugij:

Præceps

Præcedente die cum Gnosia manè Corona  
Exierit liquidis sole adoperta vadis.  
Hæc vt succedant nuptis feliciter, opto,  
Faustaq; polliciti sint noua sacra thori:  
Et velut exoritur rutilans iam stella coronæ,  
Sic fiat generis Sponsa corona tui.  
At tu, summe Deus, thalami noua vincla ligato,  
Et da coniugibus prospéra fata pijs.  
Fac precor, vt fiant numerosa prole parentes,  
Vivantq; in casto tempora longa thoro.

## ALIVD:

PEllæ luctus, atque hilares EB RE B  
Sume vultus, mœsticia relicta,  
Namque ludunt Leucorides pudici  
Carmen amoris  
Intrat & tæda thalamum iugali  
Rebus obscænis inimica uirgo,  
Sæpè quæ lenimen erit laborum  
Dulce marito.


Tàm fugaces regis opes modò cui  
Affluunt Cræsi, premitur fame quām  
Qui probrofa, coniuge sic pudica  
PAVL E beatur.

Is modò cura peragat fideli  
Quæ benigni dicta parentis urgent,  
Sensibus mandata simul reponat  
Peruigil imis.

Vos

Vos senes ergò & iuuenum cateruæ  
Nunc preces effundite supplicantes,  
Aureum dijs ut uideant secundis  
Hi duo seclum.  
Dona præsentis capiatis horæ,  
Et simul dicta prece gaudeatis,  
Quòd nouos rursus pius occupauit  
Sponsus honores,  
Cantus & saltatio uestra cura,  
Et pijs misti iuuenes puellis  
Cursitent æqui: procul omnis esto  
Clamor et ira.

Iohannes Vdalricus Vuitebergensis  
faciebat Ornatis: uiro D. M. P A V.  
L O E B E R O amico suo semper co-  
lendo &c. die 12. Septembris,  
Anno Domini 1570.



Cl 4460

ULB Halle  
003 485 978

3




Mc





## Farbkarte #13

B.I.G.  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19



7